

Has prescripta ratione depictas imagines in spina et aliorum membrorum comparibus, quomodo flectende sint, et si legentibus hæc prius notū esse par erat, tamen quo illorum cognitioni omnia expeditiora essent quæ a nobis fuissent precepta, in supra depictis exempli loco obliquis imaginibus per spine longitudinem et flexum, in posteriore semper lati corporis quarta parte, notulis triangulis designauimus. Similiter et in aduersis imaginibus non nihil artuum circulis alicubi notatum cernes.

Quamquam autem supra imagines eque longas omnes secundum unam propositam regulam quo res minoris esset negotij, dimensimus. Si quo tamen in opere componenda hæc fuerint non est ignorandum graciliorum quarumque staturas prolixiores esse debere.

Jam si viri forte ac foemine imagines vnius seu potius conuenientis modi constitutende erunt. Linea quæ feminae longitudinem metiatur breuior esse debet parte vna 18 quam viri. Nam si hoc negligeretur maior viro femina appareret, propterea quod harum nulla corpora carnosiuscula et habitiora, quam virorum delineanda sunt. Virilia vero quam illa compactiora et solida magis minusque carnea.

Hanc vero tam remotam supra depictarum imaginum rationem, a grandissima ad exilis, eo prescripsimus ut vnicuique facultas suppeteret copiose et varie pro ut collibisset, aliquid institutum opus tractare. Qua de re in sequentibus a nobis verbosius disputabitur.

Supra quidem, ut intellectum est, quatuor humanorum corporum discrimina designauimus. Nunc autem deinceps vnius partis id est capitis et primum quidem virilis compositionem et lineamenta diligentius et exactius perquiremus. Sequemur tamen superiorem rationem. Tantum modo ad longiorem regulam, quam in præ depictis imaginibus usus sum hanc descriptionem erigam, propterea quod minutiores partes indicande erunt cui rei regulæ breuitas obscuritatem allatura fuerat.

Proposita igitur virilis capitis obliqua figura ex corporis totius longitudine partis. 8 describes vndique æquale quadrilaterum, id est quadratum. Quo constituto latus illud quod nasum spectet facies esse. a. posterius. b. superius. c. inferius. d. Quibus confectis capitibus vniuersas particulas per longitudinem dimeteris easque lineis paralelis transuersis describes, quibus singulis appones suas litterarum notas, ita facile totius capitis omnium partium mensurationem colliges, sicut nos etiam in exemplis subiectis ob oculos posuimus. Ratio autem talis inibitur.

Lineam transuersam. e. duces a latere. d. remotam vna 10 sicut faciendum supra quoque in imagine virili longa spaciolum capitis sui octo, ostensum est. Ea linea diuidet capillum et frontem. Sed verticem altiore facies vna 3 inter. c. e. postea diuides. c. d. duabus lineis. f. g. in tria equalia spacia, atque harum superior. f. supercilia tanget et summas aures. Inferior. g. innum nasum imasque aures. Ibidemque occiput in collum deprimetur. Deinceps diuides. e. f. punctis duobus in equalia tria spacia, et in puncto infimo duces lineam transuersam. h. Ea linea tanget frontis initium supercilijs iminens, vnde frontis pro cursus ad radicem usque capilli rotundabitur. Deinceps diuides. f. g. punctis duobus in tria spacia equalia quorum supremum abscondes linea transuersa. i. atque ita intra. f. i. oculus includetur, et oculi uterque angulus id est interior et exterior in medio. f. j. porrigitur. item. f. g. diuides punctis tribus in equalia spacia quatuor, quorum infimum abscondes linea transuersa. k. Hæc tanget superius eminentiam narium, auricula etiam ima intra. k. g. comprehendetur. Deinceps diuides. g. d. linea transuersa. l. in duo equalia spacia, quæ quidem linea tanget summum mentum, sicut innum. d. deinceps diuides. g. l. lineam. p. medium, quæ linea transibit buccam mediam. Cumque. g. m. fueris partitus in tria

equalia spacia, infimum occupabit labrum superius, reliqua duo dabuntur illi, quæ sub naso cernitur, quasi canalicæ. Cum autem fueris partitus. l. m. in duo equalia spacia, vnum quod supra erit occupabit labrum inferius, alterum illam inter labrum et mentum quasi conuallam, quam nympham dicunt. Atque ita habebis præcipuas partes capitibus secundum altitudinem quæ supra quæque infra visuntur notatas transuersis lineis, sequitur ut latitudinem densitate ve, siue, ut nostri loquuntur profunditatem capitis per suas partes ostendam. Quod quidem per lineas perpendiculares faciemus, profunditatem autem accipies, quicquid a priore parte, in qua nasus est retro deducitur.

Duo latera. a. b. diuides perpendicularibus lineis. n. o. p. q. r. s. in septem equalia spacia. Linea. n. tanget pupulam oculorum et buccæ angulos. Sed interiorum angulorum oculorum ut nunc loquimur id est temporibus, proximè terminabis in medio. n. o. Hæc autem bifariam accipientur id est vtroque uersum, pro eo ac spectabit facies huc vel illuc.

Post hæc duces diagononem id est obliquam lineam inde ubi angulum facit transuersa. c. et perpendicularis. n. ad angulum quem facit. a. f. et notabis littera. t. postea duces aliam obliquam ex angulo item. c. n. ad angulum quem faciunt. a. g. apponesque notam. v. Per lineam quædem. n. t. frons curuabitur, per lineam vero. n. v. nasum figurabis. Jam qua transuersa. e. obliquam. n. t. secat describes supra frontem radicem capilli. Deinceps duces inter perpendiculares. a. n. interque transuersas. d. g. vnam perpendicularem. x. quæ tanget labri superioris et mediæ extremitates. Deinceps diuides. n. x. intra transuersas. m. d. duabus perpendicularibus: in tria equalia spacia, quarum linearum prior tanget inferioris labri extremitatem, posterior illam quam supra dicebam sub hoc labro quasi conuallam supercilia deduces propemodum ad. o. sic ut media extumescant paulisper ultra transuersam. f. Intra vero perpendiculares. q. r. et transuersas. f. g. comprehendes aurem totam, inam tamen auriculam collocabis in spaciolum dimidiati prioris partem, quod est inter. q. r. et. k. g. verticem capitis pones intra. s. b. et. c. e. iuxta quidem huius spaciolum partem tertiam eam quæ erit proximè. s. et item tertiam proximè transuersam. e. In transuersa. g. intra. s. b. in huius spaciolum parte 4 proximè. s. caput in collum statues. His ita dispositis lineamenta obliqui capitis per istos linearum tanquam cancellos describes, sic ubi summum caput tangat. c. inter. p. q. postremumque. b. inter. h. f. sic quidem circumductum in hoc quadrilatero usque ad collum, quod porro et ipsum ad inferius latus perueniet.

Postea sinciput a summo ad frontem deduces, et consequenter hanc et nasum et buccam figurabis. Extremus nasus tanget. a. inter. k. g. Hoc modo totum caput in quadratum illud inclusum singula eius latera attinget. Cæterum maxillam sursum uersum retroque post aurem abduces. Et aures ac palpebras suis locis exprimes. Frontis autem totum ambitum subter radices capillorum et sinciput deduces per. e. intra. p. q. interius quidem ad mediam aurem usque. At gulam de linea. d. deorsum, intra. o. p. describes sumpto initio spatij parte quarta proximè. o. collum autem si lubebit vel vnam 14 uel duas 27. latum facere poteris. Qui has res tractabis magna diligentia obseruato lineamentorum ductus, quod qui neglexerit cito aliqua deformitate opus vitabit, et si linearum supra demonstratarum iuncturæ et cancelli non longe aberrari patiuntur.

Hæc via obliqui capitis forma perquisita, sequitur ut aduersi eodem modo demonstremus, in quadrilaterum rectangulum et ipsum constituentes quod quidem erit altera parte sui longius eque altum quidem sed minus latum.

Lineas transuersas secundum eam rationem quam in obliqua facie secutus es, ordine produces per quadrilaterum propositum, ab. c. ad usque. d. iuxta dispositas litterarum notas.